

Hiese Anng: W
Pms.

22
Be

17

DE
PHERECYDE & HERODOTO,
DIODORO SICVLO &
APOLLODORO,

HISTORICIS VETVSTIS,
EORVMQVE SYMBOLICO SCRIBENDI
CHARACTERE,

QVÆSTIO RECENTISSIMA,
PRO VINDICANDA ANTIQVITATE
DILVCIDE ILLVSTRATA

A. MDCCXIX. MENSE OCTOBRI
AB

HERMANNO von der Hardt/
ACAD. JVL. SEN. ET PRÆP. MARIÆB.

HELMSTADII,
TYPIS SALOMONIS SCHNORRII.
(IV.)

n. 19

2

*In Pherecydem & Herodotum, Diodorum
Siculum & Apollodorum, historicos veteres, vetusto
symbolico stylo usos.*

Questio *circare* Jona subnata est de historicorum symbolica scribendi ratione, figuris & emblematicis referta: *Num res gestas quondam descripserint semper nudas & planas, pro externo aperto personarum & actionum ordine habituque conspicuo, an vero nonnunquam effigiarint figuris & umbræ, velut decoris & comitis vestibus cinctas & ornatas?*

Figuratus scribendi stylus, *omnium peritorum* confessione, ipsius etiam Strabonis proluxa demonstratione, primus & antiquissimus. Et hic bonæ literæ id docent: Quas qui non didicit, judicat ut cæcus de colore, de monumentis antiquis: Ut sunt, qui nil ferre possunt, nisi quod captui illorum consonum, quando *cum optimis vetustis autoribus* nihil illis fuit commercii. Stylus quis olim in orbe fuerit, pro magnis majorum facinoribus ad posterorum memoriam conservandis, illi norunt, qui a Cenforino *in historia* irria poni *intervalla* meminerunt: *Tempus ἀέθλον, ignotum*, quod longum ferunt, quando nihil consignatum literisque proditum. Quod extra dubium, quando *scribendi ratio*, quibuscunque primum figuris, *serius inventa*. Illud noctis exemplo, quando obscura omnia oculis subducuntur.

Alterum *tempus μυθικόν, mythicum*, fabulosum dictum, *symbolicum*: Quando, *scribendi arte reperta*, historias & facta describere ceperunt imaginibus, figuris, symbolis, emblematicis. Quod *negotium* fuit *canentium*, & carminibus res gestas complectentium. Antea statuarii, pictores, sculptores, illam historias figuris & simulacris effigiandi artem exerceverint diutius. Imitati poëtae, easdem historias, sculptas, pictas, adumbratas, imaginibus designatas, verbis paribus, figuris eisdem expolitæ ac circumscriptis exprimendo, uberius cantando, & luculentioribus effigiebus exornando. Quomodo *omnes vetusti poëtae re ipsa historici*, qui *majorum facta & fata canerent, symboli usi & figuris*: Nihil ferme plane & aperte verorum facinorum memorando, sed testis nominibus, personis, locis, circumstantiis, omnibus velatis & ænigmatum vestitu amictis. Tales Argonautarum scriptores, primi & æmuli. Talis Homerus a capite ad calcem: Et qui secuti centeni.

In his omnibus meræ *actionum præteritarum effigies*, nihil plani, nudi & aperti. Hoc genus *effigiandi facta & fata regum*, magnatum, gentium, urbium, nomen *μῦθων* impetravit, quod est revera *historiarum*. Reddunt quidem *μῦθες fabulas*; sed & vox *fabularum* prisco sensu nil nisi *histo-*

historia, donec in abufum abiit, ut pro analogia imaginum veterarum, fictiones historiarum, vel *facta actiones hominum & brutorum* audirent *fabula*. *Fabulari*, *μυθολογῆν*, est in se, loqui, dicere, recensere, bono & diferto usu, de rebus verissimis apertissimisque: *μῦθος*, sermo, oratio. *Confabulari*, est optimo iterum usu, colloqui. Vox adeo *fabularum* retinetur non injuste, sed sensu primitivo, de oratione & sermone, in actionum recensione. *Vera actiones* recensitæ, *μῦθοι fabulae*, *historia vetusta*. Qui sermones antiqui, aut mores facta majorum recensendi per symbola & imagines, absolute nomen *mythorum* etiam latinis dederunt, aliis *fabularum*, sensu primævo. Quo usu *μῦθοι*, *mythi*, *fabulae* sunt *præca historiae symbolis effigiatæ*. Tempus mythicum, ævorum & seculorum cursus longus, quando historias, factorum & fatorum publicorum eventus figuris & dicendi simulacris effigiare fueri. Hoc illud *genus primævum historiae canendi & scribendi*, non nude, aperte, sed tectè & oblique, per ænigmata & ideas.

Tandem, ut orbis, maxime in literis, sensim expolitur, aucti viri periti & solertes in historiis concinnandis mittere veterem illum aut avitum stylum mythicum, symbolicum & figuratum, scribereque aperte, plane, nude & simpliciter, omnibus circumstantis nominatim expressis. Quod fata publica annotandi genus fecit *tempus ἰσογειῶν historicum*, absolute ita dictum: Non quod antea historiae non fuerint cantatae, sed quod umbris fuerint vestitæ. Nunc historiae vel actiones palam & diferte consignando nominatae, recensitis veris suis nominibus, sine umbris & velamentis.

Illud *tempus mythicum aut symbolicum* ajunt durasse fere usque ad *olympiadum initia & temporum justos ordines servatos*: Tum demum & quidem pro privato usu initium factum esse notandi historias clare & dilucide. Sero adeo admodum historiae recenseri cœptæ nude & clare, aperte & distincte, imaginibus semotis. Et hoc quidem dilucido scribendi genere orto, ac privatim primum exercito, prius genus non plane exolevit, sed simul cum novo a quibusdam pro arbitrio continuatum est. Quemadmodum poëtae veterum habitu in fera secula manserunt, græcos inter dein & Romanos, qui veteres scribendi mores symbolicos propagarent. Extitere itaque cum annis privatim & publice tum historici plani & aperti, tum poëtae, veteri adhuc stylo mythico usi.

Post captivitatem babylonicam a temporibus Cyri, qui antea privatim solum extiterunt, *publici etiam plani historici græci*, sed & celeberrimi poëtae mythis assueti simul floruerunt. Eaque diversa historias publice scribendi genera per longa simul sunt continuata tempora, ultra Alexandrum magnum, Græcorum & Romanorum per orientem etiam



imperio. Præter Euripidem, Sophoclem, Pindarum, aliosque, Ptolemæi Philadelphi ætate inter multos, comicos & tragicos, claruit & *Lycophron*, Ptolemæo percharus, cujus poema, *Cassandra*, ob perpetuos mythos adeo apparet obscurum, ut intelligi ob continuas imagines, symbola & ænigmata, non posse profiterentur hodie aliqui ut & jam olim.

Hæc vetusta scribendi intervalla ex bonarum literarum campo nescire, est se damnare imperitiæ, & ignotam culpæ vetustatem. Neque vero ulli eapropter succensendum; quod tam infortunati antea fuerint plures, qui de his rebus nihil accepissent. Hodie vero bonorum autorum studia orbem curatiore antiquitatis ornant notitia, stylo omnis ævi considerato & expolito. Quomodo *geminus* quondam in orbe dicendi & res gestas commemorandi *stylus*, nunc tectus & figuris ac imaginibus ornatus, nunc apertus, planus & nudus; Pro arbitrio quorumcumque. Et quidem ab Olympiadum initio privatim clare historias scribere cœptum, tempore Cyri per Pherecydem id etiam publice inchoatum.

Cum invalesceret cum annis magis magisque stylus clarus & apertus, *pristinæ majorum scripta figurata symbolica sine neglecta*; ut pauci tandem, nisi de illis peculiariter instituti, illa caperent & intelligerent. Quæ cum seculis *scriptorum auctorum obscuritas* crevit, cum memoria symbolorum vetustorum exolesceret, nec existerent, qui illa explicarent: Uti clariora non injuste præferuntur obscuris. Inprimis, quando & philosophia cœpit plana & dilucida oratione omni ex parte tradi. Quæ perspicuitas dictionis neglectum genuit poetarum & oblivionem, quin contemptum plane.

Hæc *oblivio* cum seculis tam crassos apud eruditos etiam peperit ex symbolis illis majorum ideas, ut somniis omnia viderentur similia.

Herodotum dixeramus in sua historia in exordio significasse, se majorum mythos longos præteriturum, eo præsertim nomine, quod non penetraret symbolicum majorum stylum in avitis historiis depingendis. Est, qui *Herodoto non esse hic credendum* pronunciat, quasi non intellexisset avitos mythos, historias velatas, imaginibus adumbratas, indeque præteriisset, ut non altius historias repeteret quam a Cræso, quod historiæ ejus initium. Quin potius scopum fuisse *Herodoti fabulas fingere, iisque lectorem oblectare*. Quod propositum Herodoti tam alienum a fine operis, ab integritate viri, ab historicorum more, ut hoc affingere Herodoto sit in veritatem antiquitatis, in Herodoti in posteritatem indubitata merita, eaque prægrandia, peccare. Undenam vero probabit noster inane hoc Herodoti in scribendis suis libris propositum, quod hoc egerit, ut data opera fingeret fabulas, illis lectores oblectaturus?

Primum



❁ § ❁

Primum Strabonem videtur advocare ejus rei nuncium; ex ultimo, ut ait, τὸν γεωγραφήμενον, ubi dicatur Herodotus hoc sibi propositum habuisse, ut oblectaret lectorem suum, atque eam esse causam, cur multa adperserit a fide aliena: intelligit absque dubio libros γεωγραφήμενον. Horum ultimum librum nominat, quo Strabo hac de Herodoto affirmaverit. Utinam verba Strabonis recensuisset in quaestione historica de fide Herodoti. Liber ultimus est decimus septimus. Perlegi hoc sine hunc integrum, nec verbum de hoc Herodoti fucato scribendi scopo, pro fabulis fingendis & lectoribus hac arte delectandis, reperi. Et ne Herodoti quidem toto hoc libro 17. mentionem fecit, nisi f. 823. in argumento contrario, quando Strabo Herodotum laudat ob verissimum effatum, de ægyptiorum moribus, qui lbin avem alant, quæ omnia munda contaminet: *Verum illud Herodoti est: Ægyptiorum esse lutum manibus tractare, massam vero, ex qua panis fit, pedibus.* Ceterum apparet virum sacrum descripsisse undecunque, auctoris verbis non recte intellectis. Qui sunt allegantium, ac undecunque, ex quibuscunque commentariis excerptum mores, lutum, quod Herodotum dixisse ait Strabo, tractare manibus, & massam, unde fit panis, calcare pedibus. Vanæ igitur copix ex Strabone contra Herodoti integritatem; qualis fucus ab illis fit lectoribus, qui non consulunt autores ipsos, sed temere commentantibus fidunt.

Libro I. f. 43. de Homero & poetis dixerat, eorumque arte pangendi mythos, illos hoc agere non ex ignorantia, sed *παραίτας ἡδὲ τέρψινος χάριν*, admirationis & delectationis gratia. Quam artem ipsi poetæ in suis mythis canendis non dissimulant, sed ingenue & palam profitentur, uti & Hesiodus ait, se scire vera dicere suo loco, sed & mentiri aut falsa dicere scire. Hoc poetarum esse dicit Strabo. *Imo ne eos quidem, qui stylo historico similia narrant reprehendi soleri, nisi quando veritatem se scripturos profiteantur, & ab omni μύθοισιν ἀπέστησαν:* uti Casaubonus mentem Strabonis expressit in Comm. f. 27. Ratio, cur nemo & historicos propterea reprehendat, quod ficta interdum narrent æque ac poetæ, ex poetis: *Quod existimemus, eos non labi ignorantia veritatis, sed, quod de Homero dictum, illa fingere παραίτας ἡδὲ τέρψινος χάριν, delectandi causa. Poetæ pangunt fabulas, historici referunt non fingunt: illi delectant, hi delectantia illa referunt.* Hoc modo apud historicos fabula, non ab ipsis ficta, sed a poetis antea composita. In recensendis igitur poetarum fabulis nonnunquam occupati historici, non in faciendis, multo minus ut pangant, more poetarum, ut illis oblectent exemplo poetarum. Quod contra Strabonis mentem & contra historicorum scopum & officium. His a Strabone expositis

positis, submonet, historicos, in referendis poetarum fabulis, referendo non esse pares, quorum hi integrius alii minus sincere aut plene mythos veteres poetico recenscant. In his Strabo *Theopompum laudat, qui discrete profiteatur, se in historia a se contenda rectius νεκείτων poetarum fabulas narraturum, quam fecerint Herodotus, Ctesias, Hellenicus, & indicarum rerum scriptores.*

Hæc vera Strabonis de Herodoti fabulis, ipsoque historico ejus opere sententia, puta, quod Herodotus in apertis historicis scribendis alicubi recensuerit fabulas poetarum; Non quod Herodotus illas finxerit, multo minus hoc sine, ut lectores delectaret, sed quod traditiones majorum commemoraverit. Quod non solum Herodotus in sua historia fecisse, sed & alios historicos, aperte significatur, qui pariter suis historiis poetarum fabulas recensendo immiscuerint: Hoc aperto illorum historicorum discrimine, quod hi illas majorum fabulas poeticas integrius, illi, isti, minus integre aut plene. Plenius ac integrius aliis historicis se eosdem majorum mythos relaturum in suis historiis observat Theopompus. Luceclarius, *Strabonem non affirmare de Herodoto, quod fabulas ipse finxerit, multo minus eo proposito, ut illis lectores oblectaret.*

Neque profecto miscuit historicis Herodotus fabulas ut delectaret, cum sæpe palam dissentiret: Retulit nude, quia acceperat & aliunde cognoverat. Et, sine illo historico turpi proposito, sed alios veterum historicos idem cum Herodoto fecisse, ut referrent veteres poetarum traditiones inter dilucidas historias, non solum ipse Strabo ex Theopompo nunciavit, sed & supersunt nobis in hunc diem historici veteres aliqui, in recensendis vetustis fabulis inter suas historias prolixi interdum. In quibus est magna fama & utilitatis *Diodorus Siculus*, qui quinque integris libris majorum historias recensiturus ex poetis fabulas aut mythos prolixissime recenset: Non profecto delectaturus, sed pro rebus majorum describendis officio historici satisfactorius. Idem egit & *Apollo dorus*, in suis Bibliothecæ libris, historiam veterum recensiturus, stylo profano, longos poetarum mythos enarrans. Fecit *Herodotus*, quod fecerunt alii multi, inter historias commemorans majorum tradita, mythorum vestustorum habitu ex poetis accepto, quorum nihil ex illius ingenio, nihil voluptatis ergo. Quod historico injuste & immerito affingitur.

Copiosus Herodotus in memorandis illis, quod veriora non teneret, nec mythos illos caperet. Quomodo recte jam olim monitum, & a nobis quidem plus simplici vice, quin & fufe satis, ut in *Hercule ex Cartharia*, ut & *Proteo cum phocis, cetis*, Herodotum fabulas non quidem fecisse, sed attulisse, nec intellexisse, quibus interdum fidem habuisse visus, interdum palam negavit. Hoc pacto non inique dictum

dictum olim a quibusdam, *Herodotum gaudere fabulis, non profecto faciendis, sed fide majorum referendis.* In quibus porro fabulis falsa multa, pro habitu externo, non pro poetarum sensu & scopo, quem non intuitus *Herodotus*, sicut nec *Diodorus Siculus*, aliique.

Quin ipse *Strabo* in suamet *Geographia historica* centenas fabulas ex *Homeri* aliorumque majorum ore refert; quas profecto non ipse finxisse dicendus, sed allegasse ex antecessorum scriptis aut relatione avorum: Quamquam nec ipse *Strabo* vel unam avitam a se memoratam intellexerit vel fabulam vel traditionem.

Quando *Herodoto antiquiores historicos* desiderat noster, ut de illorum rebus & symbolico illas describendi stylo iudicium ferri posset, illi non succurrit, *argumentum remotiorum etiam & scribendi characterem hodie non esse ignotum.*

Quod ad *Pherecydem*, cuius *Strabo* sententiam persape allegat, ut & *Hecataem Milesum*, de illis *Strabo* luculenter disseruit, *lib. 1 f. 18.* quod poetarum præcedentium res, sive mythos, scripserint, mutato solum orationis ligatæ in solutam habitu. Res eadem, stylus idem, sed vincula orationis mutata. Quæstio mota apud *Strabonem*, an poetica dictio sit præferenda solutæ? Respondet primum, & poetica dictionem differre, cum inter comicam & tragicam orationem multum interfit. Addit, omnino esse generalem dicendi vim & artem. Mox ad ordinem scribendi, qui in orbe evenit, progressus, candide pronunciat, poetica dictionem in mundo præcessisse, pedestrem orationem esse secutam, imitatione illius. *Ut dicam quod res est, ait, pedestris oratio, qua quidem sit arte parata, poeseos est imitatio. Primo enim omnium poeticus apparatus ποιητικὴ καὶ ἑρμηνεύειν ἐν μέτρω προδιτ, καὶ εὐδοκίμησεν, & approbationem meruit. Postquam imitantes εἴτε ἐκείνων μιμηταὶ, λύσαντες τὸ μέτρον, mensura dissoluta, reliquis poeticis conservatis, sua conscripserunt Cadmus, Pherecydes, atque Hecataem.* Ex quibus luce clarius, quid & quomodo scripserint *historici pedestres, Pherecydes & Hecataem*, nempe, idem cum poetis, & eodem stylo, puta symbolico, orationis quantitate & mensura solum mutata, dum poetæ priores usi orationis certis minutis modulis & mensuris, hi illos in ceteris secuti fuerint orationem liberius fluere. Inanis idcirco querela de primis illis post poetas *historicos græcis* ignotis, ratione rei & styli, *Strabone* utrumque luculenter docente. *Pherecydes* ergo & *Hecataem*, *historici*, re ipsa *mythici*, cum idem dicerent quod poetæ dixerant, mythorum autores, non nisi sermonis quantitate differentes.

Incrementa & progressum mutata semel quantitatis in oratione, cum seculis & artis augmentis, non etiam dissimulat Strabo. Cum esset *Pherecydis* & *Hecataei* parum diversa a poetis oratio, solo metro misso, adeoque adhuc adstrictior & concisior dictio, pro analogia poeseos & primo

primo inventæ solutionis ; cum annis & cultis ingeniis hominum illa semel facta rudiuscula solutio expolita sensim sensimque, *ut soluta oratio fieret & liberior ac fluidior*, pro dilucidiorum rerum describendarum indole præfente. De quibus Strabo: *Deinde posteriores subinde aliquid rationale subtrahentes, de figuris & symbolis poetarum, astrictiorique vetusta dictione, orationem ad hanc, qua nunc usurpatur, formam deduxerunt, ratione symbolorum & mensuræ, veluti de sublimi quodam statu: Perinde ac si quis diceret, comædiam esse a tragœdia procreatam, huius sublimitate depressa, usque ad eam formam, qua nunc prosæ vocatur orationis similis.* Luculentiorum testem styli vetusti, qui sensim cum seculis tandem immutatus, nemo poscat, quo locupletiorum expectare aut desiderare vanum est in re apertissima.

Ex abundantia, pro ordine illo styli, pedetentim ex ligato & symbolico in solum & apertum degenerantia, subnectit Strabo illius imitationis characterem ; quando veteres pro suis brevibus modulis in carminibus & mythis dicere dicti, cum revera cantarent: Eadem vox dicendi postmodum servata, cantu licet cum metro cessante, ut plane dicerent: *Quod veteres vocabulo canendi pro voce dicendi usi sunt, hoc ipsum testatum facit, fontem & principium orationis artificiosa atque rhetorica fuisse poeticam.* Hac enim cum se ostentaret, cantum adhibuit. Fuitque oda seu carmen non nisi oratio cantilena accommodata. Unde rhapsodia, tragœdia ac comœdia sunt facta. Itaque cum vocabulum dicere primo omnium de poetica esse usurpatum dictione, qua cum cantu erat conjuncta, canere iis & dicere pro eodem sumebantur ; quorum cum alterum pedestri orationi accommodarent, ab uso etiam ad alterum pervasit.

Deinceps alio adhuc Strabo usus est argumento, pro docendo, poeticam scribendi adeoque symbolice loquendi consuetudinem prævisse: *Quin & hoc ipsum, quod oratio versu carens pedestris vocatur, ostendit, orationem a fastigio quodam & vehiculo ad humum esse deductam.*

Ex illis Strabonis demonstrationibus satis constat, quæ Pherecydis & Hecatai historias scribendi antiqua ante Herodotum fuerit ratio, nempe more poetarum præeuntium per symbola & imagines. Quæ viro non fuisse cognita non mirandum, qui alios secutus duces, ex quibus sua depromsit, fontibus ipsorum scriptorum veterum missis. Unde est, quod in excerpto infelicio, autores ante Herodotum valde lacerauit, scribendo Pherecidem, Dionysium Milesum, Hecateum. Siquidem & ex Strabone constat, Dionysium historicum non Milesum fuisse sed Halicarnasensem, lib. 14. f. 656. Sed vidit, Hecateum dici Milesum, de quo Straboni multus passim sermo. Unde illa in excerpto incomposita divulsio, imperitia vindex. Cujus vindictæ quoque grammaticæ est, quod in singulis nominibus describendis erravit, Pherecidem dicens, Hecateum, pro Pherecyde & Hecateo.

Herc-

Herodotus, historicus superioribus posterior, illorum mythos veteres, profaico stylo scriptos, se præteritum in exordio operis pronunciat, ideoque a Cræsi temporibus initium facturum, utpote dilucidioribus. Quod Herodoti mythos vetustos prætermittendi institutum non tollit aut negat veterum morem res gestas symbolis effigiandi. *Nec placet hoc Herodoti* similitumque aliorum *constium*, vetera illa mythica, majorum facta symbolice cantata, sicco pede prætereundi, *Diodoro Siculo*, qui illos scriptores, se priores, eo nomine haud obscure reprehendit, & in historia describenda veteres mythos legitimum suum habere locum primum asseverat. Quapropter & ipse Diodorus magnam vetustæ suæ historiæ partem in mythis istis recensendis insumsit.

Quandoquidem ergo satis superque constat, veterem ante Herodotum morem fuisse, majorum facinora præclara aut fata singularia figurate ac symbolice canere, in nostræ ætatis lucem fas fuerit præcipua in *Herodoti exordio veterum mythorum documenta* breviter explicare ac illustrare; Plenior, cum per vasta græcorum volumina hæc se diffundant, alteri servabimus loco, commodiori & ampliori. Hic scenam illam perantiquam eminus introspexisse satis esto, pro veterum illorum mythorum, quos Herodotus ex obscuritate præterit, indole & sententia cognoscenda. *Quatuor feminas* bellorum origines extitisse profatur: *Io, Europam, Medeam, & Helenam*. In his *Io, filiam inachi*, a Phœnicibus mercatoribus apud Argivos in Græcia fuisse raptam & ex græcia in ægyptum vectam. A græcis vicissim, Tyrum vectis, *Europam* regis filiam inde similiter raptu fuisse abductam, & in Cretam translata. Dehinc græcos in Colchidem navigasse, ac *Medeam* ex regia domo simili raptu inde abstulisse. Tandem Trojanos ex Asia in Græciam transfuisse & *Helenam* rapuisse. Hinc bella in Asiam esse mota, pro Helena a Trojanis repetenda. Longissimæ hæc perantiquæ ætatis fabulæ, quæ milles annos superent, Herodoto admodum obscuræ, de quibus multa a græcis scripta volumina. In illa caligine lucem videbit, qui meminerit, vetustos illos historicos, poetas, ænigmatibus & symbolis gavisos, feminas nominasse, eaque umbra urbes, gentes, populos, colonias, utriusque sexus cives, integrasve societates effigiasse. Hic non inelegans vetustissimorum poetarum in recensendo genius. Quatuor proinde istæ feminæ, non personæ, sed gentes, nationes, civitates, harumque coloniarum. *Io*, est character *Sicyonis*, urbis percelebris in Achaja, ex qua per vetusta Peloponnesi urbe multa coloniarum per græciam ductæ. *Europa* est symbolum *Acraphii*, urbis itidem claræ & antiquæ, in Bœotia ad lacum Copaidem. *Medea* est effigies urbis *Medeonis* in Phocide, supra finem *Crisæum*, *Helena* est imago urbis cantatæ & perantiquæ, *Hellædis*,

in Phthiotide Theſſalia. Hæc quatuor urbes græcæ, pro quatuor illarum urbium populis aut coloniis, ut urbes pro civibus per totum orbem. Hæc *femina raptæ*, quando urbes hæc expugnate, aut populi vel cives illarum civitatum rapti, & alio abducti aut subjugati, in primis pro coloniis formandis.

Quod ergo ad *Io*, gentem *Sicyoniam* attinet, hæc fertur a *Phœnicibus raptæ*. Neque hi *Phœnices* ex Syria, nisi pro poetarum scena, sed *Phœnices Bœotia*. In Bœotia ad lacum *Copaïdem mons & urbs Phœnice*. Hi *Sicyoniam* quandam gentem aut civium turmam invaserunt sibi que vindicarunt abductam, pro gente sua alibi locupletanda, pro more gentium veteri. *Phœnices* hi feruntur *navigasse Argos*, Phœnice hæc civitas Bœotia; atqui Bœotia poetis veteribus pro mari. Ex Bœotia alio migrantes navibus usi dicuntur, exemplo maris. Phœnicum hæc Bœotorum turma venerit *Argos*, in *Argolidem*. Cum *Argivis* illis commercia habuerunt; Interea consilium ceperunt de *Io*, sive *Sicyonia* turma, istic degente, auferenda sibi que tribuenda, non in servitatem sed societatem trahenda. Sic *Io* abiit cum *Phœnicibus*, quando *Sicyonii* isti cum illis in Bœotiam abierunt, non servi sed focii. Hæc illa *Io*, *Inachi fluminis filia*, *Sicyonii*, colonia hominum ad *Inachum* habitantium, ad flumen *Argolidis*, qui erat coloniarum mos. Qui *parentis* character, quod *Io* a flumine esset genita, fluminis filia, symboli index apertus. Et hæc *Io* cum *Phœnicibus* per mare in *egyptum* contendisse dicitur, *Ægypto*, pro poetarum scena, non regione Africa, sed ditione Bœotia; circa *Thebas*. *Sicyonii* illi cum *Phœnicibus* istis per Bœotiam commearunt *Thebas* verſus, ubi coloniam junctim constituerent.

Europa, non persona poetis, nisi in scena, pro scopo cætus hominum, turmæ civium *Acraphiorum*, in Bœotia ad lacum *Copaicum*.

Et hic civium *Acraphiorum globus* à græcis alio ductus pro novæ coloniae augmento. *Phœnicis ora*, in finibus *Tyri*, pro scena poetarum externa, sub specie urbis *Sarepta*; ex intentione vero poetarum *Phœnice Bœotia* regio, juxta quam ad eundem lacum *Copaicum* est urbs ficta *Acraphium*. Ut poetæ vetusti regiones mutare sueti, pro tegendis veris rerum gestarum locis. Hæc *Europa*, filia regis, *Sarepta*, quoad scenam externam, *Acraphia* pro scopo, Hæc *Europa* a *Cretensibus* raptæ, a *Cheroneis* civium *Acraphiensium* turba deducta *Cheroneam*, quæ *Cretæ* effugie occultata. Quam in rem plene, ubi hæc *Europa* a *Jove* in taurum mutato per mare vecta erit illustranda.

Medea, *Medæonensium* in Phocide manus, aut civium illorum cohors. *Colchidis* scena externa, *Chaleonis* in Phocide tractus, ad finem *erissæum*. Hæc *Medea* a Græcis *Theſſalis* surrepta, quando *Magnæsii* in *ex-*
pedi.

peditione ad urbem Cirrham Phocidis expugnandam, Medeonensium civitatem partem in Thessaliam abduxerunt. De quibus rebus in Argonautarum historia fufe.

Helena, Helladis urbis Phthiotarum civis, ab Andreanis seu orchomeniis in Bœotia supra lacum copaidem ex Thessalia subducti, & in Andream orchomenum delati aut transportati! Quæ Andreis est, quæ umbra Troje Asiaticæ a vetustis poetis effigiata. Hinc illa bella, Homero & centenis cantata, non in Asia, sed in Græciæ meditullio in Bœotia.

De his antiquis Græcis rebus, & per vetustis historiis, judicia, relationes, opiniones Græcorum, phœnicum & perfarum, ex diversis circumstantiis discreparunt. Cujus discriminis ratio, quod sera ætas, styli vetustorum poetarum ignara, illis singula tribueret terris, quarum nomina externa apud veteres poetas obvia; quæ insignia crasse admiserunt, immemores artificii poetici, remotas regiones subornandi pro patriis Græcisve urbibus & populis. Quod cum & Herodotus nesciret, postlites illas indicatas, effugiens subjungit: *Ego vero utrum sic gesta sint necne, dicere non constitui.*

Hujus styli omnes ante Herodotum *poëta*, nec non profaici *historici* quidam, Herodotum precedentes & sequentes. Ex præcedentibus superstitibus poetis *Homerus* locum sibi vindicat vel primum vel illustriorem. Atqui hunc non nugatum esse vastis suis voluminibus, sed veteres historias multas ex vetustissimis avis repetitas cecinisse agnovere quondam sagaciores, fassi & recentiorum oculatiores. Nobis *Serabo* suffecerit abunde, qui de *Homeri* historiis & styli genere, inter prolixas pro illo apologias, lib. 1. f. 18. sine hæsitatione pronunciat: *Neque propinqua tantum, & quæ apud Græcos sunt, sicuti Eratosthenes dixit, verum & longinqua etiam idque accurate Homerus, & accuratius quam qui post eum mythos scripserunt, descripsit: Non monstroso omnia fingens, sed scienter interdum alium sensum verbis occultans, aut exornans carmen, animosque hominum oblectando ducens, cum aliis in narrationibus tum de Ulyssis maxime erroribus. Exempla ex Homeri vetustis historiis pro symbolici veteris styli luce & hic proferremus, non dena sed centena, nisi abunde id jam ante præstitissemus, velut in *Batrachomyomachia*, in *Pygmaeorum & grunum pugna*, & novissime in *Hercule ex carcharia*, & *Proteo*.*

Hesiodus, Homero coævus, toto suo *ἑρπονίας* libro, *per vetustas Græcorum historias*, similibus effigiibus adumbratas, longe ante Herodotum cecinit. Idem stylus in permultis historiis, sparsis operose per opera & dies. Idem in *sceno Herculis*. Qui libri suo tempore lucem impetrabunt.

Illis, tempore regum israeliticorum in Græcia inclytis, pro fuorum præceptorum, a quibus edocti, longa serie præeuntium, modulo, successoribus eandem historias canendi & pingendi artem reliquerunt,

exercituum fere numero: Hac differentia, quod non nova plane conderent veterum historiarum symbola & simulacra sed veteribus uterentur, illis ornatum alicubi addendo, & in sui ævi usum transferendo.

Sub initium Persici imperii, tempore Cresi in Lydia, Cyro imperium Asia occupante, novum veteres historias scribendi genus per Pherecydē illum supra laudatum, publice in orbem introductum est. Syrius ille, in insula Syro natus, quæ in mari ægæo, teste Strabone f. 487. Apulejo, cicerone, qui & Syrus audit ab illa patria. Videri poterat hic Pherecydes dici Atheniensis a Strabone l. c. juxta versionem. Verum corrupta versio: Εξ ἧς, ait, Φερεκύδης ὁ Βαβυλῶν, νεώτερος ἢ ὁ ἄλλος Ἀθηναῖος ἐπέμειν: Ex qua insula Syro Pherecydes Babius oriundus, quo junior est alter Atheniensis. Floruit hic, quod nostra hic interest curate attendere, Cyro ad imperium orientis grassante, adeoque sub captivitatis babylonicae medium. Pittaci fertur auditor fuisse: Juxta quo sdam Thaletis Milesii, certe Pythagora maximi viri magister, mathematicarum disciplinarum peritus, cui tribuere quidam non vereantur eclipsium primam descriptionem & periodorum lunæ. Quoniam artis dicendi conscius fuit, inchoavit, ut voluit, publice ad minimum, novum istud veterum res gestas soluta oratione scribendi genus, qui Apuleji ore pronunciant: Pherecydes, Syro ex insula oriundus, primus versusum nexu repudiato, conscribere ausus est passivis verbis, soluto locutu, libera oratione. Huic Cicero in Tusco Quæst. sublimioris doctrinæ de animi humani sempiternitate gloriam vindicat: Pherecydes Syrus primum dixit, animos hominum esse sempiternos: antiquus sane, fuit enim meo regnante gentili, Servio Tullo. Quandoquidem ergo primus pro sa oratione publice scribere aggressus majorum mythos, historias anigmatibus clausas, decem libros ἑρμηνείας, exemplo Hesiodi, de natura & diis, exaravit, quibus, Hesiodi ore, deorum ortum & successionem complexus. Quam in rem videndus & Laertius. Suidas nobis eloquetur institutum viri universum, Tomo III. f. 192. ed. Kusteri. Pherecydes, Babii filius, Syrius. Syrus est insularum cycladum una, prope Delum. Vixit tempore Haliattis, Regis Lydorum, ut septem sapientum aequalis fuerit, natus circa quadragesimam quintam olympiadem. Ferunt Pythagoram ab eo institutum fuisse, ipsum vero non habuisse præceptorem, sed proprio se studio exercuisse, comparatis sibi arcanis Phœnicum libris. Quidam etiam tradunt, eum oratione prosa primum scribere instituisse, quamvis id alii ad Cadmum Milesium referant. Primum etiam animarum ex corpore in aliud corpus migrationem docuisse fertur. Sectatus autem est Thaletis opinionem. Omnia quæ scripsit, sunt: Heptamychus, sive Theocrasia aut theogonia. Est autem theologia, libris decem constans, quæ deorum generationem & successionem continet. Sunt in his, in quibus non nihil differant alii, sed ex illis momenti; in primis quæ Salmasius, ipseque Kusterus in notis de

disting.

distinctione operum Pherecydis memorant. *Cadmm Miletum* Pherecydi præponit Strabo. Ante Pherecydem quidni fuerit unus alterve vel & plures passim, qui prosa jam uti fermone in historiis non solum privatim sed & publice tentarent; sed inter illos qui *plenis operibus historias majorum completerentur oratione laxiore*, eminuisse Pherecydem quidni detur. Sufficit, hoc genus fluidius ac solutius sine metro in historiis a vitis exarandis circa illam ætatem *publicum* sumfisse initium, haud longe ante solutam captivitate[m] babylonicam, illo certe seculo. Ante enim quam publice quid exerceatur in re nova, privatim plures idem pertentaverint. Et in his nobis satis, antea ligata oratione majorum res gestas cani solitas esse.

Neque adeo litem componere animus est inter Porphyrium & Suidam, quando ille, memorante hoc *l. c. f. 395.* inter Pherecydas plures, qui pariter de rebus majorum, stylo veteri mythico sed laxo & soluto scripserint, Syrio primas tribuisse partes nec inique visus. *Pherecydi vero Atheniensis*, qui Syrio posterior pronunciat[ur] etiam Straboni, Suidas tribuit ante Syrium ætatem, vocans illum *πρῶτον Βύρων Συρίας*, Syrio antiquiorem. Et huic quidem Atheniensi tribui collectionem scriptorum orphei ait Suidas, qui & affirmat hunc Atheniensem scripssisse Autochthonas, opus de antiquitatibus Atticis, decem libris, præceptaque versibus clausisse. Sed Porphyrius priori Pherecydi primum in illo scriptionis genere locum vindicat. Suidas: *Porphyrius autem superiore Pherecyde, Syrio, nullum antiquiorem admittit, sed illum solum putat esse primum orationis solute auctorẽ.* Sequioris longe ævi alius *Pherecydes Levius*, itidem historicus, natus paulo ante LXXV. olympiadem, qui dicitur scripssisse inter alia *de rebus mythicis veterum, de Iphigenia, de Bacchi festis*, nuncio Suida *l. c.*

Quamquam vero illi *græcorum historici*, a tempore Haliatti aut Cræsi, sub captivitate babylonica, *omnium inter græcos primi*, qui majorum res gestas liberiore aut soluto stylo exposuerunt, imaginibus tamen & symbolismythicis prioribus servatis: Illi tamen nondum inter *historicos* primum impetravere locum: Quoniam sensim sensimq; *planior adhuc historiarum recensio* introducta, usq; dum *Herodotus* omnium planissime historiam contexere visus. Qua de causa *Herodoto* elogium vindicat cicerone *parentis historia & historicorum principis*. Siquidem hic a Cræsi ævo apertissime sine imaginibus veteribus primus historiam scribere añsus.

Neque obstat illi simplicitati Herodoti ac perspicuitati frequens relatio pristinarum, ultra Cræsi ætatem, historiarum mythica recensio. Quæ enim ante Cræsum diu evenerant, non aliter nisi figuris & ænigmatibus ab ipso Pherecyde & Hecatæo Milesio erant scripta. Retulit itaq; Herodotus vetera, ut invenerat apud alios, vel ut veterum ore ægyptii vel a-

lii Herodoto nunciaverant. Quæ omnia vetustiora mythica non ex Herodoti ingenio, sed referentium traditione. Nusquam sefellit Herodotus ex instituto, sed bona fide recensuit miras traditiones, ab aliis, sive scriptis sive dictis, acceptas. Esto, *credulus* fuerit *Herodotus*, alicubi in illis ostentis non valde hæsitabundus, par farum contigit pluribus, plus veterum fictioni credentibus & mira in simbolo quocunq; stupentibus. Quod tanto minus Herodoto vitio vertendum, quanto proprior ille seculis poetarum & Pherecydis, qui mythos illos secrete referrent. Nobis sufficit, *Herodotum*, in veteribus rebus recensendis veterum mythos bona fide retulisse, ab ipso non intellectos. In his antiqui characteris historici, symbolorum usu, testis sua praxi Herodotus, pro sua sinceritate. Longe post Herodotum, Augusti Cesaris avo, *Diodorus Siculus*, quod Herodotus ex veteri historia mythica præterierat, cum non caperet, non prætereundum esse in sua historia existimavit, quamvis nec ipse vel hulum penetraret. Perquam proinde longus in vetustis historiis, veteri symbolico dicendi genere quondam a poetis, dein & Pherecyde & Hecatao Mileseo, descriptis, commemorandis. Nequis vero opinetur, illum non longe remotos accivisse mythos, quæ Herodoti ætatem longe præcessissent, meminerit, Diodorum, pro gentium traditionibus non solum tempora deorum & heroum spectasse sed & primum hominum ortum attendisse, & abinde historiam suam revocare studuisse. Unde admodum sollicitus de primorum hominũ in ægypto ortu. quanquam vero hic Diodorus misere sit ab ægyptiis falsus, cum non caperet umbras inductas, satis, quod a longissimis ævis historias, diutissime ante Herodoti ætatem gestas, advocaverit, unde de vetusto stylo iudiciũ sit apertum. Nobis perinde, num ex poetis ipsis, num potius ex Pherecydæ, Hecatao, multisque aliis, symbola illa sua antiquarum rerum acciverit. Dedit itaque Diodorus Siculus vasta farragine, quæ præterierat Herodotus data opera, ex remotis ante Herodotum seculis, indubitata dictionis antiquæ symbolicæ documenta.

Inania idcirco suspiria de perditis vetustis monumentis, Herodoto superioribus, ex quibus de vetustis historiarum imaginibus possit iudicari, quæ abundantissime in Diodoro Siculo comparent. Vir sit in his, qui hæc legunt, qui vel unum ex pervetustis illis ænigmatibus historicis solvat. Nostris hæc novæ portæ, in perantiquis urbibus.

Diodoro Siculo addimus *Apollodorum Atheniensem*, qui grandes scripsisse dicitur *de deorum generatione libros*; nobis hodie non nisi *bibliotheca* ejus, instar perbrevis compendii reliqua. In hoc opere remotissimi ante Herodotum avi historias enarrat, omnes stylo vetusto symbolico. Vir sit noster, si vel lineam totius operis penetret ac dilucide recenseat, ænigma-

gmatibus solutis. Nos alibi, & in *Herculis ex carcharia epilogo*, exordia operis evolvimus, ubi *de primis hominum centimanis* differuit, coloribus deterfis & velis poeticis remotis.

Diodorus itaque & Apollodorus, ut multos alios tantisper taceamus, habent, quæ nosfer putat ex orbe exesse ex vetustis rebus in orbe gestis, quibus habitus ex figuris decorus.

Thucididem objicere, qui sine umbris scripserit, unde colligendum, illius ætate scriptas esse historias aperte & dilucide, est extra oleas vagari. *Herodoto posterior Thucidides*, cum centenis historicis planis & apertis. Sed plane hoc non quaritur, an post *Herodotum scripta sint historia clare & perspicue & sine imaginibus ac velamentis*: Quod supra abunde asseveravimus, quando hujus *novi styli ortum in Pherocydis ævo ante Herodotum Cræst seculo* deteximus. Ante *Herodotum* quomodo res gestæ sint scriptæ, quæstio est. *Thucididem Herodoto posteriorem* non videtur meminisse nosfer, qui in his omnibus antiquitatis momentis vagus ac dubius, fontibus rerum & scriptorum non consultis.

Postremo anxius valde, quomodo *de Herodoto* potuerit incidere sermo, quando *de prophetarum stylo actum*? Quasi vero *Herodotum*, qui Prophetis longe posterior, advocassemus ad prophetas illustrandum pro dictionis indole. Est hæc ignoratio elenchi, qua continuo peccat. Dixeramus, *vetustum per totum orbem fuisse stylum, historias figuris & symbolis adumbrandi*: *Eaque imagines a posteris sepe non intellectas esse*. Quod demonstravimus exordio operis *Herodoti*, quo longas vetustiores historias breviter memoret umbris involutas, quas & prætereat, ab ipso non intellectas. *Communem in orbe consuetudinem & Herodoti testimonio declarare* integrum omnino fuit. Frustra proinde jactat nosfer, *externum stylum*, hoc est exterorum scriptorum, differre *ab historiis*, puta *facrarum, genio*. Demonstravimus luculentissime *morem veteris orbis univrsi, historias umbris, imaginibus, symbolis & simulacris regendi ac velus vestendi*. Quod negare est foli lucem derogare, & antiquitatis indolem ignorare. Bonæ literæ neglectæ, bonique autores veteres non consulti, sui contemptum vindicant.

Sermo profecto hebræum, in fontibus, sermo etiam est humanus, quo uterentur in dicendo & scribendo magni illi in oriente populi longis seculis. Non exiit sacrorum veneratio sermonem natura sua, quemadmodum igitur tropi & figuræ dictionis per omnem totius orbis sermonem vagantur, sine discrimine populorum, nec hebræis exceptis, qui in dicendo, præ aliis figuras & tropos amavere, ita etiam in historiis exarandis non dissimilis consuetudo, in quibus nunc symbola, nunc nuda sententia expressa. Tropis & figuris, univrsi humani sermonis ornamentis, præ omnibus decora dictionis prophetarum, eo nomine elegans, sed & non parum obscura, Atqui inter tropos sunt symbola, ænigmata, quæ metonymiis succedunt. Hæc adeo decora a sermone separare, est dictionem enervare, & vim detrahere, quæ figuris potens;

His satis superque explicatis, & ex antiquitate remota abunde illustratis, non opus est longa disquisitione, quomodo historia, talismodi figuris ornata aut velata, possit dici stylo scripta aperta, ubi verba sunt clara & usitata. Urget siquidem noster & contendit vehementer, orationem in historiis talibus verbis constare claris & apertis, adeoque historiam non posse dici figurata oratione scriptam. Quam hæc consequentia, illepida profecto, in grammaticam & rhetoricam impingat, bonæ literæ monstrant, quarum contemptus se undiquaque vindicat. Verba sigillatim extra contextum in historia plana fiat, facta, ordinaria, popularia, facile capienda. Sed verba seorsim sumpta non faciunt stylum dicendique formam: Quandoquidem tota dictio, integraque oratio, pendet sua significandi via constructione, a serie & nexu rerum designatarum. Verba extra vincula orationis nuda & aperta, in nexu alius plane virtutis, nullies vix intelligenda, tam obscura & tæta. Iudicium igitur omne de styli natura, perspicuitate, provenit ex rerum habitudine in universo sermonis contextu. Vanissima proinde collectio a simplicitate vocum singularum ad simplicitatem rerum totiusque sermonis. Tota historia externa, poetarum vinculis contexta simulacris perpetuis obvoluta, verbis in se planis & communibus, nudis ac simplicibus constat: Et nihilominus tota oratio figurata, symbolica. Similiter in sacris e. g. parabola Christi verbis constant in se seorsim sumtis dilucidis & apertis, interim tamen oratio est symbolica. Quod infantis sit negare. Neque res illæ revera physice sic evenere aut eventuræ, ut verba foris seorsim videantur nunciare. Verba planissima rebus adumbratis & tæctis, Nihil idcirco agitur, dum a verbis planis & apertis historia dicitur aperta vocanda & plana, cum figuræ manifestæ aliud delitescens nunciant.

Quæ est indoles orationis in se & sua natura, eadem speciatim apud omnes valet generes, adeoque & Judæos. Hoc docet humanior disciplina, artis dicendi genus, & perpetuus in toto orbe usus. His disciplinis instructus, quamcumque orationem cuiuscunque auctoris, ad rerum substratarum naturam examinat, E. g. quando propheta iussus devorare librum, & dicitur devorasse, verba quidem extra ordinem seorsim plana & aperta: Sed pro rerum illarum habitudine non foris ita res gesta, sed plane non: Cum in symbolo hæc contigerint & visione. Foris itaq; verba significant, prophetam reapse librum devorasse, quod tamen falsum. Devorandi igitur actus non profecto physicus, sed alius indolis, visione effigiatus. Tota actio non externa, sed symbolica. Mera est fallacia a verbis singulis planis & apertis colligere historiam aut rem gestam physicam & externam. Omnes Amos visiones, verbotentus planæ seu verbis apertis descriptæ, sed tamen actiones ipsæ non externæ & nude, sed figuris cinctæ suis & emblematicis. Omnia anigmata, etiam sacra, verbis in se planis, non arguunt simplices & externos actus, sed imagines manifeste nunciant. Res itaque universa in omnibus in legendo ac recensendo auctoribus redit in lectoris ac interpretis peritiam ac prudentiam, qui varium orationis habitum, in exteris & sacris scriptoribus, norit distinguere, & vim sermonis metiri ex rerum indole.

Scr. A. 1719. d. 21. Octobr.

χρόνω καὶ πόνω τὰ ἀληθῆς ἐκλάμψει,
ἀγαθὸς ὁ ὑποταχὸν βουλή.

Cl. Str. l. f. 277.


Tempore & labore elucescet veritas,
bono quovis viro adjuvante.


154892

X 2319257

R

VD17





DE
PHERECYDE & HERODOTO,
DIODORO SICULO &
APOLLODORO,
HISTORICIS VETVSTIS,
EORVMQVE SYMBOLICO SCRIBENDI
CHARACTERE,
QVÆSTIO REGENTISSIMA,
PRO VINDICANDA ANTIQVITATE
DILVCIDE ILLVSTRATA
A. MDCCXIX. MENSE OCTOBRI
AB
HERMANNO von der Hårdt /
ACAD. JVL.SEN. ET PRÆP. MARIÆB.

HELMSTADII,
TYPIS SALOMONIS SCHNORRII.
(IV.)

n. 19.